

optimam, Editionemque operum Thomae ab ipso curatam, omni prorsus interpolationis labe immunem, mihi animo demonstrasse. At mirum denique est, eadem legi recusa Commenta in Opere, quod inscribitur: *Innocentia vindicata* etc. §. 1, num. 1.

Siste Lector. Malam fidem quam pridem *Joannes Nicolai, et alii Parisiensis Magistri, allegantes exemplar unum illiusmet Editionis Morellianae, quod penes ipsos erat*, admissim Romanae Editioni conforme, opposuerant Theophilo Raynaudo, is amoliri abs se studet, vindictis actis in Syntagma de Libris propriis num 55. « Non erit, inquit, operum est, hanc labem detergere. Verissimum igitur est, quod dixi de adulteratione textus praedicti Thomae, facta per Cosmam Morelles. Causa autem, cur inventum sit exemplar ejusdem editionis sincerum, ista est. *D. Bernardus de Thoro* Doctor Hispanus, qui Romae negotium Conceptionis urgebat, deprehensa illa Sancti Thomae depravatione per dictum Fratrem Morelles, dicam illi impedit apud Paulum V. a quo Frater praedictus increpitus et multatus mutavit folium illud; adulteratione sublata. Ceterum extare dicuntur in his oris et alibi varia Exemplaria ejusdem Editionis depravatae, ut Villanovae « eis Avenionem in Cartusia Vallis Benedictionis, « et Anesii apud Allobroges, et Aquis Sextiis apud « Salyos. Ex quibus liquet, me nihil imposuisse « Cosmae Morelles, sed adulterationem ab eo factam esse rite convictam. »

Rite convictum ais Cosmam Morelles de falsato Sancti Thomae textu, pluribus expunctis verbis? Id ejus iniquum facinus quomodo probas? Bernardus de Thoro, inquit, dicam Cosmae Morelles impedit apud Paulum V. Summum Pontificem; is increpit ipsum, ipsumque multavit; increpitus ille multatusque mutavit folium, depravatione sublata; line vero Exemplarium discrimen, quorum alia sincera, non alia. Facta, et quidem plura, habeo. Scriptores probati, ac testes convenientes adduci debent, qui eadem testati fuerint, ac scripto reliquerint, ut sibi consent. Scriptorem vero testemque, neque unum affert Raynaudus. Num haec ipsi narranti credendum fuerit, quem sine dubio convictum tenemus de pluribus aliis in Aquinatem, in consodales ejus excoGITATIS mendacis? Non pauca nostris in Dissertationibus exempla prostant.

Plura mihi praesto sunt, quibus historiolum excoGITATAM convellam. Alia editionis a Cosma Morelles curatae exemplaria sincera esse, inquit, quae scilicet habent folium mutatum; alia depravata, quae folio mutato carent. Pronum erat, ut depravata proferrentur exemplaria, quae adhuc extare plurima debent, locis indicatis quae adire cuique liceret, ut propria oculorum experientia depravationem deprehenderet. Profert ne aliqua Raynaudus? Astutiam hominis animadvertit: *Caeterum, inquit, extare dicuntur in his oris et alibi varia exemplaria ejusdem Editionis depravatae*. Cur inquit extare dicuntur? Id minime satis. Historiola ut constat, omnino opus est, ut *reipsa extant* alicubi depravata exemplaria. Haec tamen nullibi videre Raynaudus potuit; neque probatos, quos nominaret, viros inventi, qui certo rem testarentur. Quidpiam tamen reponendum fuerat; unde dicuntur, inquit, extare in his oris et alibi varia exemplaria Editionis depravatae.

At ubinam extare demum dicuntur? Reponit

ille: *Villanovae eis Avenionem in Cartusia Vallis Benedictionis*. Festivum utique rem animadvertit. Primum *depravatae Editionis* exemplum inventum fuisse narrat Raynaudus in Pietate Lugdunensi, in *Cartusia quadam in extrema ora*; inventur alterum in *Cartusia Vallis Benedictionis eis Avenionem*. Ad pios ergo Asectas Cartusianos pergendum est, ut de facinore convineatur Cosmas Morelles. Ceterum locum ubi haec posterior Cartusia, non Villanovam vocant Geographi, sed *Villanovanam*. Josephus Merotius in Theatro Chronologico Sacri Cartusien-sis Ordinis, *Cartusiam* appellat *Villa nova juxta Avenionem, et Villanovanam, et Vallis Benedictionis de Villanoca*. Item depravatum extare exemplum ais *Anesii apud Allobroges, et Aquis Sextiis apud Salyos*. Parum erat admonere, *Anesium civitatem esse Allobrogum, et Salyorum aquas Sextias*; exposebat diligentis viri bona fides, ut locus, vel Coenobium, vel Bibliotheca indicaretur, ubi Anesii et Aquis Sextiis adservaretur quaerendumque foret depravatae Editionis exemplar. Joannes Nicolaius exemplar, quod nullam habet depravationem, indicavit Parisiis extare apud suos Consodales. Simile profero ego, quod in nostro Veneto sub nuncupatione Rosarii Coenobii adservatur. Exemplaria quae vidit, memorat Vincentius Baronius in Libro Apologetico 4, Sectione 2, §. 5, pag. 75, ubi sic ait: *Vellem, docuisset nos (Raynaudus), quibus verbis hunc locum corruperit Morelles cum Editio illius consentiat ceteris: nec appareat, quibus verbis possit haec corruptela adhaerere*. Fugit denique depravata haec editio, quae alicubi exstaret, solertissimos diligentissimosque Quetifum et Echar-dum in Elogio ejusdem Morelles.

Pergit suam texere apologiam Raynaudus: *Bernardus de Thoro, inquit, qui Romae negotium Conceptionis urgebat, deprehensa illa Sancti Thomae depravatione per dictum Fratrem Morelles, dicam illi impedit apud Paulum Quintum a quo praedictus Frater increpitus et multatus mutavit folium*. Haec Raynaudo sine teste narranti opponere liceat Thomam Strozium S. I. qui cum in Controversia Conceptionis historice descripta diligentissime ea omnia referat, Libro 9, quae Romae sub Paulo V. acciderunt, dicat Cosmae Morelles impaetae, mutataeque ab eo folii mentionem nullam ingerit. Eodem Strozio teste pag. 310 et 351 degebat Romae Bernardus de Thoro anno 1618, Mense Decembri, qui in Urbem adventavit Antonius de Trejo, Orator a Philippo III Hispaniarum Rege missus; eaque etiam in Urbe moras trahebat anno 1622, Sedem Apostolicam tenente Gregorio XV. qui anno praecedente Paulo successerat Mense Februarii. Suae historiulae color aliquis ut inesset, annus erat Raynaudo definiendus, quo Morello dica impacta fuit, quove ipse multatus coactusque, ut folium mutaret. Animadvertit, Opera Thomae Aquinatis, ipso Morello eunte, anno 1612 prodidisse; abline vero intervallum sex annorum haberi ad annum usque 1618: ac plurima sine dubio Editionis, quae depravata dicitur, distracti debuisse exemplaria a Joanne Keerbergio Typographo, et Bibliopola. Cur ergo frequentissima non occurrant depravata hujusmodi exemplaria? Cur tria vel quatuor dumtaxat extare dicuntur, quae si cuique videre in votis esset, pergendum illi foret *Anesium, Aquas Sextias, Avenionem, et in extremam Arecomeicam oram*? Figmentum nemo non videt.

At anno eodem 1618 die 24 Maji ab Apostolica Sede datus fuerat Cosmas Morelles, ut Echar-dus narrat in ejus Elogio, Generalis Fidei inquisitor in Tractu Rhenano, sive Archidioecesisibus Moguntina, Trevirensis, et Coloniensis; quod ipse munus strenue prudenterque gessit plures annos. An vero Summus Pontifex hominem jam falsarium convictum tam splendido munere cumulasset? An qui mortum candore, peritia litterarum, et zelo fidei dignum se prae-buit, ut munere praeclarissimo in negotio Religionis ab Apostolica Sede honestaretur, genuinum Thomae textum suppressere ausus aliquando fuerit? Praeterea quaerendum est, num Bernardus de Thoro, qui Romae debebat, dicam impegerit praesenti, vel absenti Morello? Num ipsum praesentem increpaverit Paulus V, an increpatorias litteras ab absentem ipsum in Belgium transmissit? Circumstantiae sunt, quae factum quod de agimus, intime afficiunt; at illas satis non indicat Raynaudus. Neque ita in abscondito haec fieri potuerunt, quorum eorum fama longe lateque diffunderetur; atamen unus est Bernardus de Thoro, qui haec seriverit; unus est, qui haec receverit, Theophilus Raynaudus! Quae certa sunt, pandam ego Viri Clarissimi gesta, Quetifum et Echar-dum secutus; patria scilicet Catalanum fuisse, et alumnus Sancti Onofrii prope Valentiam Aragoniae; Sacras litteras in Academia Coloniensi professum esse, vitamque suam in Belgii partibus egisse, Heterodoxis arguendis redigendisque ad fidem catholicam totum additum; ac demum anno 1618 Quaesitorem Fidei in Tractu Rhenano a Sede Apostolica renunciatum, partes commissi muneri explesse omnes. Haec evincunt innoxiam Cosmae Morelles fidem: deque impostura tum excoGITATA, tum defensa convincunt Raynaudum. His addere demum praestat, rationem adfuisse nullam, quae permotus germanum Aquinatis textum suppresserit Morelles: nihil enim verbis Thomae inesse, quod Immaculatae Conceptioni conferat, jam adnotavit Joannes Nicolai.

CAPUT IV.

Innozia thesis ostenditur, quam Francischinus Curtius, et Jo. Antonius Summontius audacissime notarunt, veluti damnatam in Concilio Constantiensi. Refellitur nuper pro Summontio Apologia. Animadversio.

Theosus ejusdam ab Angelico Doctore in Commentario in secundum librum Sententiarum propugnatae veritatem integritatemque recentium Operum ejus editionum, ut hoc loco vindicem latiore sermone, nimia fecit nuperimi Scriptoris confidentia. Is est Scipio Christophori Neapolitanus in Vita Jo. Antonii Summontii. Regni Neapolitani Historicus iste narraverat facinus Comitissae Casertae, qui cum in Castris Manfredi Regis militaret, situsque difficillissimi custodiam adsumpsisset, aditu non arduo adventantes Caroli Andegavensis copias, suasque Comitii Jordano Lanciae, ut transitum permitteret. Proditorium facinus, quod non pauci execrantur, purgare studet Summontius, Thomae nostri (incepte sine dubio) adhibita doctrina, quam mox anathemate ecclesiastico percursum ait. Vindictas Thomae egerat Raphael Maria Filamondus Ordinis Praedicatorum: Vindicemque modo aggre-

ditur Scipio Christophori, illatam Aquinatis doctrinae injuriam propugnans, recentisque Operum ejus editiones veluti detruentas traducens.

Res ab ovo pertractanda mihi est mihi animo, gravi serioque certamine instituto, argumentorum robore, Summontii verba sunt Tomo 2, libro 2 (secunda uto Editione anni 1673): « San Tommaso « d' Aquino, avendo forse riguardo a questo caso « del Zio (Rinaldi Aquinatis, quem vocat, Comitissae « de Caserta), disse una cosa più forte e mirabile in 2 Sent., Art. penult., eh' era opra lecita « et meritoria al vassallo in questo caso uccidere « il Signore. Però in contrario a questo tenne Agostino d' Ancona nel Trattato della potestà Ecclesiastica nella q. 34, art. 5, vers. Omnia autem ista: e contro l'opinione di San Tommaso « fu nel Concilio Constantiense determinato, come « riferisce nel medesimo luogo Curzio (de Feudis in sexta parte). » Pro carne et sanguine strinxerit ergo calamum Thomas Aquinas, locum si habeat Summontii conjectatio: quod est Viri sanctissimi integritatem, castissimamque doctrinam denigrare. Nolum ego diligentius perquirere, num Comes ille de Caserta ad nobilissimam gentem Aquinatem pertineret, ac patruus esset Thomae Angelici, seu frater Landulphi patris. Hunc sanguinis nexum tuetur ille auctoritate Matthaei Jovenatii, Joannis Villanii, et Cypriani Manentis, alisque vetustis quibusdam chartis, quae attentiore mente expendere non vacat. Contra sententiam laudat ipse Historicus Ammiralium, diligentissimum hujusmodi rerum indagatorem: cui addiderim ego Camillum Peregrinum, qui in Historia principum Longobardorum in Partem 6 Anonymi Salernitani, perillustre genus Thomae Aquinatis, data opera, scrutatur, gentis ejusdem facit Comites Accerranos, Comitumque de Caserta nullam ingerit mentionem. De patria et familia Divi Thomae de Aquino consule Francischem M. Pratillum Tom. 2 Historiae Principum Longobardorum in peculiari dissertatione, quae in ejusdem Tomi caele prostat, edita Neapoli an. 1730. At pertinuerit iste Comes de Caserta, ad gentem Aquinatem: in gratiam ejus quidpiam scripsisse Thomam, consanguinitatis affectu ductum, suspicio foret putidissima.

Locum ubi indicata perquirenda sit doctrina Thomae, denotat Summontius in 2 Sent., art. penult. Nempe textum certissime addit, qui habetur in 2 Sententiarum, Dist. 44, Quaest. 2, Art. 2, (is est penultimus totius libri secundi) ad 3. Verba sunt: *Tullius (qui in libro de Officiis salsat eos qui Julium Caesarem interfecerunt, quamvis amicum et familiarem, quia quasi tyrannus jura imperii usurpaverat), loquitur in casu illo, quando aliquis dominum sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, et quando non est recursus ad superiorem, per quem judicium de invasore possit fieri: tunc enim qui ad liberationem patriae tyrannum occidit, laudatur, et praemium accipit*. Animadvertit illa apud Summontium verba italica, eh' è opra lecita e meritoria; et illa apud Aquinatem latine, laudatur, et praemium accipit: quae certissimos de indicato textu Thomae nos efficiunt. Haec vero Comitissae Casertani facinori favere, ejusque in gratiam scripta fortasse fuisse, putat Summontius. At facinus illud ad annum 1266 spectat: suos vero Commentarios in Sententiarum libros, adhuc junior, elucubraverat Thomas ab anno

1255, ad annum 1257. Quis deinde non videat, nonnulli ineptissimi hanc Thomae doctrinam adhiberi posse ad purgandum facinus Comitis de Caserta, qui Manfredi Regi fidem obstrinxerat, in ejus castris militabat, simulabatque fidem, loci custodiam pro suo munere adsumpsit, advenientibus Ducibus Andegavensibus copis non obstitit, aditum transiitque suadet sub specie boni consilii, idque demum agit incestum uxori a Manfredi Sororio illatum ulturus? Circumstantias hujusmodi, nonnullas alii, alii simul omnes narrant Scriptores probatissimi, Nicolaus de Jamsilla, Ricordanus Malepina, Joannes Villanius, Summontius ipse, Odoricus Raynaldus, alii plures: quas vel in ipsius tyranni, qui nullo plane titulo imperium invadit, occisione execeratur Thomas, ut infra dicendum. Casertani Comitis facinus scrutari diligentius hoc loco non vacat: illudque memorare mihi liceat, quale ipse etiam Summontius narret, vel ex historia, quam ipse approbat et amplectitur, depromi contra ipsum arma queant.

Verum admonet Historicus, propugnatae a Thomae sententiae refragari Augustinum Triumphum Anconitanum Ordinis S. Augustini: definitionemque contra illam haberi, in Concilio Constantiensi latam. Quis non admiretur solertiam Historici, qui doctrinam affert a Doctissimo Triumpho propulsatam, et in Concilio Constantiensi percussam anathemate, ut facinus Comitis de Caserta vitio purget? Adversari Triumphum inquis doctrinae Aquinatis? Non ita. Locum ab ipso Summontio indicatum expendamus qu. 54, artic. 5. Integrum profero: « Dicendum, quod aliqui dicunt, personam a qua furtive aliquid accepit, aut publicam esse, et de stipendiis communiatas vivere, vel privatam. Et si est publica, dupliciter: quia vel habet dominium tyrannicum (per injustam invasionem absque ullo titulo), vel justo titulo adquisitum. Utrouque modo dicitur, quod licitum est furari a persona publica in casu necessitatis propriae, vel alienae: quia non est contra legem naturae tyrannum spoliare, quem honestum est necare, ut dicit Tullius de Officiis. Similiter licitum est furari de bonis publicae personae, habentis dominium justo titulo adquisitum, quia bona eius stipendia sunt Communiatas . . . Omnia autem ista (Nota locum a Summontio indicatum) non videntur esse bene dicta. Quamvis enim hostem vel tyrannum spoliare licitum sit auctoritate superioris, non est tamen licitum propria voluntate, ut dicit Augustinus. Bona vero publicae personae, habentis dominium justo titulo adquisitum, licet sint stipendia communia; sunt tamen sibi appropriata pro communi administratione, quam exercet; unde ea ratione non est licitum furari de bonis ejus. » Haec disserit ille, a me descripta ex editione Romana in quarto in domo Nobilis Viri Francisci de Cingulis apud S. Mariae de populo curata anno Domini M. CCC. LXXIX, die 20 Decembris. Oscitabat, dormiebatque sine dubio Summontius, cum locum istum Triumphum sibi videbatur Aquinati adversum videre. Agit ille de spoliatione bonorum: agit iste de occisione, eoque magis de furto. Occidi licite posse, adeoque et spoliari bonis tyrannum, qui absque titulo alienum invadit imperium, habito prius recursu (si fieri possit) ad superiorem, ceterisque servatis candidi et moderati animi conditionibus,

Thomae doctrina est loco citato. Non repugnat, convenit apprime doctrina Triumphum: Hostem, inquit, vel tyrannum (jure nullo alienum imperium invadentem) spoliare licitum est auctoritate superioris, non est tamen licitum propria voluntate et auctoritate. Soporem excute, aperi oculos, locum utrumque compara, fac ut intelligas capiesque perfectissimam consonantiam. Id unum si quod est, afferri discrimen potest, quod Ciceronis auctoritate Triumphus insuper habet: exponit eam Aquinas, rectoque sensu donat. Quod si de tyranno sermo sit, qui cum justo potestatis titulo, sive hereditario, sive per conventiones et Reipublicae consensum adquisitum, tyrannice tamen regit subditos: verissimam uterque sententiam tenet, illicitum fore, nec ullo modo impune ferendum, si quae intentaretur, occisionem ejus, bonorumque spoliationem. Clarissima sunt Triumphum verba superius allata. Aequae splendida ac sane luculentiora docet Aquinas articulo 2 citato: ac primum in argumento prolusorio, allegata Petri Apostoli auctoritate, Epist. 1, cap. 2, vers. 1: *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non solum bonis et modestis, sed etiam dyabolis; et Apostoli Pauli ad Rom. capite 13, vers. 2: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; et in corpore, quod vocat, Articuli, ubi apertissima documenta traduntur, ac etiam tituli accedentes numerantur, quibus justum efficit dominium potestatis, quod per injustam violentiam adquisitum est, vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris.*

Pars altera censurae acerbius est, qua Thomae doctrina notatur, veluti adversa decreto Synodi Constantiensis. Putas ne, Concilium Constantiensis decretum, doctrinamque Thomae expendit Summontius, ipsumque, ut par erat, attingit fontem? Nihil minus. Franciscini Curtii, quem laudat, latina verba italice transcribebat: minime sane ad judicandum idoneus num vera, non falsa Curtius proferret. In egregio jureconsulti verba in sexta parte de Feudis, inter Tractatus universi juris Tom. XI Parte II: *Imo fortius et mirabilis dicit S. Thomas in secundo Sententiarum, artic. pen., quod licitum et meritum est, ipsam (dominum intolerabiliter opprimentem vassallos) interficere. Sed contrarium in hoc tenet Augustinus de Aneona in Tractatu de Potestate Ecclesiastica, qu. 54, art. 5, §. « Omnia autem ista » et contra B. Thomam fuit decisum in Concilio Constantiensi. Neque id Curtius dicebat, proprio accurate doctus studio; secundum Brizensem, ut addit, in Repertorio. Pudet litterariam committere pugnam cum imperitis haec hominibus. Augustini Triumphum mentem haud illos attingisse certissime constat. Constantiense decretum proferendum est, quo etiam turpissime abutuntur. Sessione 13, quae habita fuit Sabbato die sexta, mensis Julii, anno 1413, post anathema latum in Joannis Hussi theses decretum sequitur in hac adsertione: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et merito occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per claustrales insidias, et subtiles blanditias, vel adductiones, non obstante quoecumque praestito juramento seu confederatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cujuscumque.* Cum dira et execranda, justoque percussa anathemate adsertione comparemus Aquinatis doctrinam. *Quemlibet tyrannum universim effert thesis damnata, sive sit**

titulo et jure domini tyrannus, sive sola administratione ac modo regendi: unum tyrannum titulo, qui jure nullo dominium sibi per violentiam, aut injusto modo bello surripit spectat doctrina Thomae. De quolibet tyranno aegre Auctor theses damnatae, tamen proude accesserit postmodum subditorum consensus, vel auctoritas superioris: id in ipso etiam qui jure domini tyrannus est, excipendum docet Aquinas, nisi forte, inquit, postmodum dominus verus effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris. Minime expectari debere sententiam, vel mandatum iudicis cujuscumque, dira thesis enunciat: id eo tantum casu, si quidem contingeret, licitum Thomas ait, quando non est recursus ad superiorem, per quem iudicium de invasore possit fieri. Adprobat theses Auctor claustrales insidias, subtiles blanditias, adductiones; factamque confederationem, praestitumque juramentum nihil habendum indicit. Hae in ipsi de facinoribus verbum nullum apud Aquinatem, qui locis quampluribus aliis toto ea pectore execeratur. Hinc vero damnatum in Concilio Constantiensi thesim rejicit universa, Theologorum natio, quae simul atamen Thomae sententiam amplectitur ac tuetur. Summa Theologorum capita satis est recensere, Cajetanum 2-2, quaest. 64, art. 5; Dominicum Soto de iustitia et jure Libro 3, qu. 1, art. 8; Alphonsum a Castro adversus Haereses § Tyrannus; Petrum de Aragon, et Michaellem Bartholomaeum Salonicum, loco citato 2-2, qu. 64, art. 5; itemque Franciscum Sylvium, Gregorium Valentiam, Tomo III, disp. 3, quaest. 8, de Homicidio, puncto 5; caeteros omnes, nemine excepto: quibus adde Hugonem Grotium, Henricum Henningum, Jo. Gottl. Heineccium. Quid! quod Joannes Gersonius, qui maximam contulit operam, ut eam adsertionem damaret Concilium Constantiense, lati anathematis aequitatem vindicat Sancti Thomae doctrina, pluribus indicatis locis, ac illo etiam de quo agimus. Verba ejus accipe, quae habentur in Sermone 2, contra assertiones Magistri Joannis Parvi, parte 2: « Promiseramus inducere rationes cum auctoritatibus, et historiis. . . . Continetur in Summa Confessorum super his vocabulis, bellum, homicidium, insidia, perjurium. Sanctus Thomas ad idem 2-2, quaest. 64, multis Articulis; et quaest. de insidiis (40, art. 5), et quaest. de juramento (89), item penult. secundi. » Mendum corrigere, et lege: *ult. qu. penult. art. libri secundi sententiarum, ubi quaestionem pertractat, utrum Christiani teneantur obedire potestatibus saecularibus, et maxime tyrannis.* Truncus esto, qui haec tam clara, tam disertam non intelligat; aut nimia certe confidentia percitus fuerit, qui Thomae doctrinam Constantiensis Concilii decreto damnatam suspicetur.

Il. Aquinatis vindicias egerat Raphael Maria Filamondus in Opere quod inscriptum legitur, *il Genio bellicoso di Napoli*, in calce secundae Partis anno 1694, typis editae: « Primieramente è dannata l'asservita (quam adhibet Summontius), con cui egli (idem Historicus) zeusa il Conte di Caserta. Volerla poi corroborare con la presunta autorità dell' Angelico, è sfrontataggia da vergognarsene: oggi più grossolana ignoranza: non bisognando per confonderla, che leggere il testo di S. Tommaso in 1 Sententia, dist. 44, quaest. 2, art. 2, ove dimanda, utrum Christiani teneantur obedire S. Th. Opera omnia. V. 7.

« potestatibus saecularibus, et maxime tyrannis? » Risponde che si ne preotti non contrarj alla « virtù, adducendo nell' argomento che si dice « Sed contra, l' autorità di S. Pietro: Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyabolis: spiegando dolo con riflessioni bellissime, alle quali rimette « il Lettore. Che se darà un' occhiata ad un altro « testo, 2-2, quaest. 64, art. 4 (5) utrum occidere « hominum malefactorum (peccatorum), liceat privatae personae; et ivi il Cardinal Gaetano § ad hoc dicitur: conoscerà non esser parola nell' « retica proposizione di Giovanni Hus dannata nel « Concilio di Costanza, l' anno 1414, che non si « confuti con la dottrina insegnata in que' luoghi « da San Tommaso Falsamente ancora cita « l' eruditissimo Monsignor Sagrista F. Agostino « Trionfo d' Aneona, che nel Trattato de Potestate « Ecclesiastica in tutto si regola con la dottrina « di San Tommaso Guardisi d' incontrarsi in « quelle autorità di Scrittori, che Giovanantonio « (Summonte) riferisce, o mancano, o contrarie « alle lor parole. » Ad rei summam quod attinet, paucis ac luculentissimis verbis apologiam Thomae ornavit Filamondus. Textum ejus indicatum a Summontio non exprimit; satis vero denotat verbis illis, con la presente autorità d' W. Angelico, et illis etiam, in quelle autorità, che riferisce, o mancano, o contrarie alle lor proprie parole; atque demum cum Lectorem remittit ad Cajetani commentarium, ubi data agitur opera de praedicto Aquinatis textu, quem a Summontio indicatum legimus, his verbis: *Dubium occurrit: nam Auctor in 2 Sent., dist. 44, art. penult. ad ultimum (seu ad 3), dicit etc. Minuta quaedam Filamondi menda expurganda sunt. Theseos a Synodo Constantiensi damnatae auctor fuerat Joannes Parvus, non Joannes Hus. Latum anathema est, Sessione 13, quam non anno 1414, sed insequente 1413, celebraverunt Patres Sabbato die sexta mensis Julii. Quo demum jure munit Pontificii Sacristatus tribuatur Augustino Triumpho, ignotum mihi. Angelus Rocca officium illud ab anno 1500 ad haec usque tempora Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini nullo unquam tempore interrupto exercuisse narrat in Chronistoria de Apostolico Sacristo: elenchum Sacristarum textit a tempore Alexandri VI et ab anno Domini 1501, aliosque remotioris aetatis, quos invenire potuit recenset: Augustini Triumphum non meminit, qui ad annum 1528 superstes fuit. Eiusdem praeclearissimi Viri opera memorat in indice Theologico et Scripturali, ac ejus elogium scribit, nulla muneris ejusdem injecta mentione; idemque silentium apud Dominicum Antonium Gandolfum in Dissertatione historica de ducentis celeberrimis Augustinianis Scripturis, itemque Trithemium, Miraeum, Bellarminum, Labbeum.*

Pro Summontio aggredi Filamondum, pretium operae duxit Scipio Christophori, scriptor nuperimus, in ejusdem Summontii vita. Consilium ejus praestat ex ipso excipere. Quod ad vindicias attinet, quas pro Comite Casertano egit Summontius, rejicit eas, utpote nixas truci opinione, quae anathema subitit in Concilio Constantiensi, adversaturque juri naturae, divino, humano. Quod attinet ad Aquinatis textum ab eodem Historico indicatum, veluti praefatae opinioni faventem; nihil dubitat, in operibus Thomae extare: suaque tamen e re non esse ait,

pulverem theologicum movetur, ut perquirat, quo sensu intelligi debeat Aquinas. Tum Filamondum, Thomae vindicem, his verbis insequitur: « Surse alto romoreggiando il P. Filamondo per l'oservazione fatta, che nelle edizioni più recenti da lui vedute, de' libri delle Sentenze dell'Angelico, il luogo indicato dal Summonte, non solo affatto non si rinveniva: ma che all'opposito nella sua Somma il Santo Dottore istesso era di un sentimento contrario direttamente a quello che gli attribuiva il nostro Storico. Per la qual cosa non cessò dopo averlo chiamato *Notajo laureato, Teologo degno di satire, e pieno di soverchia audacia ecc.* di assordare l'aere co' suoi lamenti, e di trattarlo come menzognero, e falso apportatore di autorità non veraci. Ma con buona pace nondimeno del P. Filamondo, noi confessiamo di non sapere per qual cagione egli del Summonte per l'addotta autorità di San Tommaso lagnessi, mentre, quantunque sia vero, che nelle edizioni più moderne dell'Opere dell'Angelico non si legga nel luogo additato del secondo libro de'le Sentenze il passo da quello recato, altresì è verissimo ancora che nelle più antiche edizioni dell'Opere del suddetto Padre si ritrova: la qual cosa fa argomentare, essere stato per giusti motivi da nuovi editori dell'Opere di quello, un tal passo tronco e mutilato. Or ciò posto, siccome riluce assai chiara l'innocenza del nostro Storico, che non citò un passo falso per imposturare la gente; così poi patentemente si discovre la trascuraggine del Filamondo, il quale per non aversi voluto prendere alquanto la briga di riereare l'edizioni antiche di San Tommaso, non senza lezzo e nausea volle caratterizzare il Summonte come frodolento e mentitore, per avere arrecato nella sua Storia un passo falso dell'Angelico, quando quello chiaro e sfolgorante nelle prische edizioni delle Opere del Santo Dottore si rinveniva. Essendo dunque manifesto, che abbia S. Tommaso una si fatta opinione tenuta, sebben durretta alquanto, non riserisse male il Summonte, siccome vuol pure ingiustamente il Filamondo, che Agostino d'Ancona, o sia il celebre Agostino Trionfo Apostolico Sagrista nel libro della Potestà ecclesiastica, fosse contrario all'opinione di quel Padre; giacchè essendo stato San Tommaso del sentimento di sopra espresso, giustamente il Trionfo, che diversamente dall'Angelico avea scritto, dovea riputarsi a quel Santo Dottore in opinione contrario. Il Filamondo però non trovando in San Tommaso il passo indicato, anzi nella Somma del medesimo leggendo l'opposito, trattò giustamente da impostore il Summonte anche intorno alla contrarietà del Trionfo all'Angelico; mentre giusta il suo principio, il suddetto Autore era seguace della dottrina di quello, facendo quindi baldoria e tripudio della sua trascuraggine, e della scarsa sua critica. »

Haec Scipio Christophori, verba nempe, et verba plura, quae taedium ingerunt, praeterea quae nihil. Age vero: causam ignoras, cur de Summontio ob allegatam Thomae auctoritatem querelas agerit Filamondus? Causa patet: quod traditam ab Aquinate sententiam fuisse, pro certo habuerit, quae in praesidium diris devotae opinionis advocari possit. Quis non indignetur? Textus ille quem Summontius men-

te versabat, notavitque verbis illis, *ch'è opera lecita et meritaria*, non alius utique fuerit, nisi qui legitur 2 Sent. dist. 44, qu. 2, art. 2, seu penultimo totius ejusdem secundi libri, ad 3, ubi haec habentur consona verba, *laudatur, et praemium accipit*. Sed hunc miscere textum cum damnata opinione, summam esse dementiae, jam superius ostensum est. Locum a Summontio indicatum Filamondus animadvertit in recentibus Commentariis in secundam Sententiarum librum editionibus non inveniri. Haec a Filamondo dicta nusquam lego. Cur imponis? Id unum ait, sententiam Thomae tribui, aut traditam a Thoma ita intelligi, ut damnatae opinioni faveat, faciens esse temeritatis plenum. Verius nihil dici poterat. Imo Filamondi animadversio est in Summa Theologica doctrinam ab Aquinate tradi, quae adversatur sententiae a Summontio indicatae. Imo etiam ex penultimo articulo secundi Sententiarum libri arma promi, quae damnatae opinionem jugulant, rectissime Filamondus admonet: hanc enim evertit textus indicatus, sive per seipsum sumptus, sive cum argumento prolusorio, et cum integra artificii doctrina connexus.

Atqui verissimum est, in antiquioribus operum Thomae editionibus textum reperiri, quem indicat Summontius. Viro egregie critico satis fuit, antiquas universim memorare editiones: tua fuerit, lector, lustrare Bibliothecas, atque inter vetustas editiones plures illam invenire, quae textum Aquinatis indicatum praestet. At hujusmodi textus, de quo agitur, vel ille ipissimus est, qui 2 Sentent., Distinct. 44, Quaest. 2, Art. 2 ad 3 legitur: vel alius quislibet. Si prior ille: quid opus, vetustas perscrutari editiones, cum ipsum sicut antiquae, ita recentes praeferrant omnes? Quod si alius quislibet: hunc demum afferas, ac vetustam editionem indica, ubi habeatur. Hinc argumentari licet, novus editor non mutasse editiones, quae textu illo carent. Calumniam est, quae probatissimis affingitur recentioribus operum Thomae editoribus. Indicatum a Summontio textum, quem supra descripsimus, praestant editiones, Romanae anni 1370 sub Pio V; Venetae 1395 typis Domini Nicolini; Antverpiensis (seu Coloniensis) 1612 cura ac studio Cosmae Morelles; Parisina 1660 accurante Joanne Nicolaio; Veneta demum quae nunc prodit praevius admonitionibus, quae singulis Tomis insunt, abs me elucubratis munita. Recentes alias et antiquas recensere editiones, quae textum indicatum habent, Venetam 1386 apud Haeredem Hieronymi Scoti; Venetam aliam 1329 mandato et expensis Heredum Nobilis viri D. Octaviani Scoti; Lugdunensem 1320 typis Jacobi Myt; Venetam 1505 per Simonem de Luere pro D. Andrea Torresano de Asula. Cur antiquiores diligentius perquisiverim, cum tot inter se omnino consonae suspensionem iniquae manus, quae quidpiam detruncaverit, abiciant omnem? Itaque Summontii integra fides constat, qui textum falsum non indicavit, ut aurito gregi fuem saceret. Hujusce probrum Summontium non insimulavit Filamondus, in ea qua de agimus quaestione. Audaciam arguit, qua innoxia Thomae doctrinam adduxit, veluti damnatae opinionis faventem: addidit postremo loco animadversionem, in ejusdem Historici universo opere iudicata quaedam aliorum Scripturum loca aut reperta non esse, aut perperam intellecta. Imotescit etiam Filamondi negligentia, qui textum a Summontio indicatum exquirere in vetustis Thomae edi-

tionibus praetermisit. Eadem semper oberrans chorda. Indicatus Aquinatis textus cur in vetustis editionibus a Filamondo diligentiore cura perquirendus erat, quem invenerat legebaturque in ea, sive recenti, sive antiqua, qua utebatur, editione? Locum etiam Cajetani refert, ubi textus ejusdem, rectissima et innoxia sententia exponitur. At idem textus in editionibus priscae prostat splendidissimus. Prostat etiam in recentiore editione qualibet: ac plena calumniae suspicio est, quae de mutilatis recentibus Thomae operum editionibus ingeritur. In hanc ergo opinionem, tametsi duriusculam, abierat Aquinas. Verissimam a Thoma traditam opinionem, gratulamur. Tu duriusculam vocas, quam moderatione plenam, et tranquillo Dominorum regimini, et paci publicae faventem pronunciant doctissimi Theologi quique. Illam scilicet intelligimus, quam propriis oculis legere cuique pronum est in 2 Sent., Dist. 44, Quaest. 2, Art. 2 in argumento prolusorio, in corpore articuli, et in responsione ad 3. Hanc indicaverat Thomae sententiam Summontius, qua adversus Doctoris mentem abutitur. Num alium ipse ejusdem Praeceptoris Angelici textum mente versas, quem traducas in invidiam? Putat Filamondus, Thomae doctrinae, et opinioni non adversari Augustinum Triumphum Apostolici Sacrarum custodem: qua in re arte critica destitutum se prodi. Impacto vitio te laborantem video, qui erras cum Filamondo, novum Apostolici Sacrarum custodem creans Augustinum Triumphum. Hujusce amplissimi Viri doctrinam in Summa de Potestate Ecclesiae adamussum convenire Aquinatis opinioni, iudicium est Filamondi verissimum: id si tu inficias iveris, aut in dubium vocaveris, minime Theologum, neque criticum, ut mitissime dicam, te praebes. Consule Triumphum locum superius descriptum. Quid est vero, quod imbecillum imparatumque adversarium pluribus insequamur? Thomistici namque textus, quem Curtius et Summontius indicaverant, omnino ignarum se prodere videtur Scipio Christophori: fingendumque fuit, in vetustis, quas minime vidit ipse, nec lustravit, inveniri editionibus, quem non extare in recentibus pari fitione excogitavit. Apage nugas.

III. Post editam typis apologiam nostram, qua innoxia thesis a Sancto Thoma Aquinate adserta contra Io. Antonium Summontium, et recentiorum Commentarii in alterum Sententiarum librum editionum fides ac integritas, atque demum brevis Raphaelis Mariae Philamondi defensio contra Scipionem Christophori ineluctabilibus (me iudice) argumentis vindicatae sunt; foliola ecce duo in quarti forma Neapoli transmissa Venetiae in manus pervenire: quorum primum paginas exhibet 429 et 450, libri tertii dell'Historia di Napoli, a Summontio elucubratae: et alterum paginam 67 vitae dell'Autore, ipsius Summontii, a Scipione Christophori digestae. Paginae 429 subjecta in margine adnotatio legitur, quam sive coniectam, sive propositam audio a Josepho Terralavoro, Neriani Instituti sacerdotae, pietate ac doctrina viro praestantissimo. Integram propriis Anglicis verbis describere, sua cuique ut laus constet, hoc loco praestat: La dottrina, che qui propone il Summonte, e preten- dendo poi autenticare col passo di San Tommaso d'Aquino dell'articolo penult. nel secondo libro delle Sentenze, è dallo stesso Angelico Dottore riprovata nel passo medesimo dal Summonte addotto.

Poiché il vero senso, ch' esprimono le parole del testo, è tutt'altro da quello, che mal intese lo Storico: il che chiaro apparisce a chiunque da vero Teologo o Leggista lo considera. Quindi nasce primariamente, che al Santo Dottore non potè mai, nel commentare il Maestro delle Sentenze, cadere in pensiero quel riguardo, che il nostro Autore par che voglia supporti. Et in secondo luogo, che non è stata mai opinione di San Tommaso, ma di Giovanni Parvo, quella, che fu condannata dal Concilio di Constanza nella Sessione 13. Qual sia poi il vero senso del suddetto luogo dell'Angelico Dottore, ci viene dottamente rapportato dal Gaetano, dal Bannez, dal Salonio, dall'Aragonio, dal Lessio, e da altri chiarissimi Theologi in 2-2, Quaest. 64, art. 5, ove fanno menzione di questo luogo del secondo libro delle Sentenze. Haec ille paucis, ac luculentissimis: quibus addere par est, censuram a Summontio latam, non ipsi veluti auctori adscribendam, sed ex Francieschino Curtio Jureconsulto, italicae redditae auctoritate desumptam esse.

Aliis folii pagina 67 quae ad vitam Summontii pertinet, novi quidpiam inventum prodiit, de quo monendus lector est. Novis excusa typis, longe differt ab illa quae in eadem Summontii vita ante menses Venetias transmissa prostat. Nova enim, quam dixerò, pagina haec 67 sex lineas paginae prius editae praestat, hisque immediate subjectas lineas quindecim, quibus praedictae vitae in integra prima editione finis imponitur, suppressis atque eliminatis majore paginae 67 prius editae parte, integris etiam paginis 68 et 69 ac decem denique lineis paginae 70 postremae. Nova pagina 67 haec legenda primum offert: alle leggi divine ed umane, perchè sorgente di rovine, di scandali, e di sconvolgimenti grandissimi (dira, et iniqua opinatio notatur, quam Summontius tenuerat): e per la qual cosa concordemente riprovata da' Teologi, da' Moralisti, da' Filosofi, da' Giureconsulti, e da tutti coloro che trattarono del diritto naturale e pubblico. His novi typi, medio nullo, lineas quindecim: subjiciunt, quae paginae 70 in priore integra editione locum postremum obtinent: nempe, Fu il Summonte uomo di bello aspetto, di carnagione vermiglia etc. At eadem pagina 67 prout primis et typis emersit, post sex lineas priores jam descriptas, haec immediate verba legentibus exhibet: Ma se una tale opinione, perchè assurda, e pregiudiziale, cagionò ragionevolmente il dicitelo della Storia del Summonte; l'autorità poi da lui recata di S. Tommaso, il quale forse attendendo il successo dell'Aquino, ch'esser doveva strettamente a lui congiunto per sangue, nell'articolo penultimo del secondo libro delle Sentenze, non solo sostiene l'opinione medesima, ma fra le opere meritorie una somigliante trascorso annoverò; soggetto alle derisioni e beffeggiamenti, anzi alle rampogne ed alle Satire del P. Filamondo. Alia adijciuntur pauca, atque tum singula et omnia verba quae italicae, prout eadem scripsit Auctor, nostra prostant in apologia: nempe, Certa cosa è però, che surse alto romoreggiando il Padre Filamondo etc.

Quorsum haec vero? Ad me pertinet alterum, alterumque ad Auctorem vitae Summontii. Fucus unquam ne fieri alius possit, sancte testor ego, ad me Venetias integram Summontii vitam, septuaginta comprehensam paginis, transmissam fuisse, eademque in publica Coenobii Bibliotheca repo-

sitam custodiri, in qua singula habentur et omnia, non addito verbo, non detracto, quae concinnatae abs me apologiae interserta sunt. Quid? quod integra prius edita exemplaria, quae aut clanculum aut palam Neapoli ab aliis empta, aliis dono data, bene multa adseruantur, luculentissimum integras fidei meae hodieque reddunt, futurisque temporibus testimonium dabunt. Auctori vitae Summontii deum (quod alterum est) gratulor ego ipse, gratulentur omnes, qui meliora sentiens, quaecumque permotus ex causa fuerit, quae primum in Angelicum Praeceptorem scripserat, revocanda, supprimenda, averruncanda (quis enim id ab aliis intentatum suspicetur?) optimo consilio duxit.

CAPUT V.

Seruum inchoavit in Sententiarum Commentarium Sanctus Thomas, qui perit. Qui vero typis editus est, non est germanus Aquinatis foetus, sed Annibaldi Ordinis Praedicatorum, et S. R. E. Cardinalis.

1. Ad ipsum Thomam sermo redit, qui Parisiis in Italiam, secundum scriptum in *Sententiarum libris* aggressus est. Nempe in Parisino Sancti Iacobaeo Coenobio post dissidia composita anno 1236 vel insequente 1237 tamquam Magister ac primarius regens, externam scholam moderabatur: sub eoque sententias, tamquam Baccalauraeus, explanavit fortasse Hannibaldus, postea S. R. E. Cardinalis ex ordine nostro adsumptus. Vetusta praeterea monumenta apud Echaridum docent, conciones Aquinatam habuisse Parisiis in Quadragesima anni 1238, qui stylo novo numerandus est 1239, et ad Pentecostem sequentem, die prima Junii, Valencennus interfuisse Generali Provincialium capitulo, vel ut Socium Romanae suae Provinciae, vel graviores ob alias causas accesserit. Tum discessit, remigravitque in Italiam anno 1261, quo in Petri sedem Urbanus IV. condescenderat, teste Ptolomaeo de Luca, libro XXII. *Histor. Eccl. Capite 25 et 24.*

Scholas Theologicas apud nostrates regebat Thomas in iis oculis ubi diversebatur: ac primo quidem Romae eo munere functus est. Ptolomaei de Luca verba accipe libro XXII. citato *Hist. Eccl.*, Capite 24. *Isto autem tempore Thomas studium Romae etc.* Et libro XXIII. Cap. 13: *Scrispsit etiam eo tempore, quo fuit Romae, de quo supra dictum est, jam Magister existens, primum super Sententias: quem ego vidi Lucae; sed inde subtractum nusquam ulterius vidi.* Manum admoisse Thomam addiscimus, ut novum in sententias Commentarium elucubraret: explanasse vero eorumdem Sententiarum librum primum, sed hunc male fato explanationem perisse. Commentarium primum receuset Bernardus Guidonis, deque altero incepto sic habet: *Cumque post tres annos sui Magisterii, redisset in Italiam tempore Urbani Papae; existens Romae, scripsit iterum Scriptum super primum Sententiarum, sicut testatur in sua Chronica F. Ptolomaeus Episcopus Torcellanus, qui discipulus et auditor fuit: asserens, se vidisse illud in Conventu Lucano: quod nunc non invenitur, quia furto sublatum esse creditur, et ideo non fuit multiplicatum.* Paria scribit in chronico S. Antoninus Parte III. Titulo 18, cap. 10, §. 1. *Quis ergo non doleat novi operis irreparabilem iacturam?*

II. At in editione tamen Romana Tomo XVII. recensitum editumque post Opuscula legitur *Divi Thomae Aquinatis Doctoris Angelici Scriptum secundum in quatuor libros Sententiarum ad Annibaldum Annibaldensem Romanum Ordinis Praedicatorum. S. E. Episcopum Cardinalem.* Quod opus nemo diversum ab eo non agnoscat, quod loco citato memorat Ptolomaeus: cum istud scriptum fuerit super primum dumtaxat Sententiarum, male quoque sublatum perisse dicatur, proque deperdito haberetur tum Bernardi Guidonis aeo, tum etiam S. Antonini. Hinc mota quaestio, num inter germanos Divi Thomae foetus debeat accenseri, quod in editis prostat.

Publicam vice prima vidit lucem laudatus Commentarius Basileae typis Nicolai Kester, vel Kester anno 1492 fol. « Quam primam editionem (Echardi) verba refero in Elogio Hannibaldi) videtur igno- rasse Thomas Nerius noster, cum hortatu Pauli IV. tum adhuc in minoribus constituti, suam adornavit Parisiis apud Michaellem Sonnium circa 1360 sub hoc titulo: *Divi Thomae Aquinatis Ordinis Praedicatorum Doctoris Angelici Secundum Scriptum appellatum super IV. libros Sententiarum ad Annibaldensem S. R. E. Cardinalem, nunc primum in lucem editum cum duobus etc.* Quo loquendi modo, se ex codicibus manuscriptorum dare satis indicat. » Nerii verba in Praefatione haec sunt: *Quoniam Sanctissimi Domini nostri Domini Pauli quarti Pontificis Maximi, cum esset adhuc in minoribus, pium desiderium fuit cunctis prodesse, hoc Divi Thomae aureum opus, quod diu quasi sub terra laterat, in lucem ejus providentia extulit, quod veluti totius sacrae Theologiae summarium quoddam est. . . . Placuit eidem Sanctissimo Domino nostro, ut in marginibus alia tibi assignarem loca, in quibus eadem Divus Thomas pertractat; et copiosum insuper principium magisque notabilium propositionum indicem huic praemitterem operi.* Veluti ac si hoc Opus tum primo emergerit e tenebris, disertissime praefatur Nerius: ipsumque, cum pro germano Aquinatis foetu haberet, *Secundum Scriptum appellavit in quatuor Sententiarum libros.*

Nerium sequuti sunt quamplures. Vielmius haec habet: *Deinde vero aetate protectior (Thomas) ad Annibaldum Cardinalem magnopere efflagitantem, contracte et pressim illustravit opus Petri Lombardi, quod Sententiarum inscribitur.* Illud inter gentina opera recensuerunt editores Romani: eademque est sententia Ferdinandi Castillii, Michaelis Pii, et Pauli Nazarii. Joannes Nicolaus in Praefatione sic habet: « Sed quoniam et illud scriptum in gratiam ejusdem Hannibaldi ea methodo dispositum a Sancto ipso Thoma, eademque dicitur, Ptolomaeus Lucensis noster, discipulus ipsius proficitur; nec alioquin, tam Angelico ingenio indignum, ut nec caetera, existimari potest, indubitatum remaneat contra quamlibet conjecturam; ac legitimum Thomistici operis cum ceteris auctoritatem retineat; nec esse Hannibaldi, velut ab ipso scriptum existimetur, sed inscriptum dumtaxat Hannibaldo. » His accedit Bellarminus.

Mirum sane, in hanc illis injecto dubio nullo sententiam visse, quam veterum S. Thomae operum Nomenclatorum silentium satis convellit, profligatque disertissimum Ptolomaei de Luca testimonium: quo, si rite recteque expendatur, germanum adse-

ritur opus ipsius Hannibaldi, postea S. R. E. Cardinalis. Ptolomaei verba sunt libro XXII. *Hist. Eccl. capite 25* « Hic (Urbanus IV) fecit duas ordinationes, in quibus fuerunt creati duo Cardinales, quorum unus fuit nepos suus, vocatus Dominus Anicherius: alter fuit nepos Domini Richardi de Anibaldis, qui vocatus est F. Anibaldus (de Anibaldis) de Ordine Fratrum Praedicatorum. Qui fuit Magister in Theologia, et fuit vir magnae humilitatis et veritatis, et sanctus homo: quem Frater Thomas multum dilexit. Fecitque scripta super Sententias, quae intuluntur Domino Anibaldo: quae nihil aliud sunt, quam abbreviatio dictionum Fratris Thomae. » Agit hoc loco Ptolomaeus de Hannibaldo, et nobilissima Hannibaldensis gentis Romana prognato, Ordinis Praedicatorum alumno, litterarum perita moribusque sanctissimis ornatissimo, ad sacram purpuram evecto: obiterque adnotat, dignum ipsum fuisse, quem sanctus Thomas multum diligere. Hinc verba quae sequuntur, *Fecitque scripta super Sententias*, ad ipsum Hannibaldum pertinent, minime ad Thomam. *Fecit* itaque, auctore Ptolomaeo, ipse Hannibaldus scripta super Sententias. Thomae Aquinatis huncce commentarium si tribueret Ptolomaeus, quam inepta, quam ridicula foret haec ejus locutio: *Fecitque (Frater Thomas) scripta super Sententias . . . quae nihil aliud sunt, quam abbreviatio dictionum Fratris Thomae!* Coharent vero omnia, si Hannibaldus dicitur fecisse scripta, quae nihil aliud sint, quam brevis epitome fusoris commentarii, a Fratre Thoma elucubrat.

Sponte sequitur, alia ea verba, *Quae intuluntur Domino Annibaldo*, vel intelligi ita debere, ut Frater Hannibaldus conceperit Commentarios, quos nuncupaverit Domino Richardo Annibaldo, patruo suo, S. R. E. Cardinali: vel ita potius, ut Commentarii, quos ipse Frater Hannibaldus elucubravit, vulgo circumferrentur sub honorifico titulo Domini Hannibaldi, ipsius nempe Fratris Hannibaldi ad sacram purpuram evecti. Priorem sensum amplexus fuerat Jacobus Echaridus: quo postea repudiato, adhaesit alteri, ea per motus ratione, quod Codicem nancisci potuerit nullum, in quo epistola nuncupatoria ad Richardum Hannibaldensem prostraret. Hunc et ego sensum amplector: neque obstat verbum illud, *intuluntur*, cum perinde sit, atque *inscribuntur*, seu *feruntur sub titulo* Domini Hannibaldi: quo pariter sensu ajebat S. Antonius in Chronico Parte III. Titulo 18, cap. 10, §. 11 *postillas super Genesis, et Ecclesiasten vidi, sibi (Thomae) intulatas*: hoc est, attributas, minime nuncupatas dicatasque: et *Compendium Theologiae Beato Thomae aliqui intulunt*; id est, inscribunt, adjudicant, feruntque sub ejus nomine ac titulo. In re sese clara ac splendida piget diutius inmorari.

Hinc vero corrigendus venit Casimirus Oudinus qui priore sensu adoptato, nimia confidentia scribit Capite 14, *Dissert. de Scriptis Divi Thomae.* Hunc Commentarium ex Ptolomaeo Lucensi inscribens dum esse, *Annibaldi Commentarius in quatuor libros Sententiarum ad Annibaldum S. R. E. Cardinalem.* Imo codex nullus praedicto Operis titulo faveat: quotquot vero haecenus adinveniunt ac lustrari poterunt, sequentem exhibent: *Opus Annibaldi super Sententias, vel Scriptum Hannibaldi super Sententias, vel denum Quaestiones Magistri Hannibaldi super 1, 2, 3 et 4 Sententiarum.* Egent

quoque spongia, quae verba legitimus in elogio ejusdem Hannibaldi apud Ciaconium in Vitis Pontificum et S. R. E. Cardinalium: « Tanti fecit Hannibaldum Cardinalem Angelicum Doctorem Divum Thomas, ut doctas in quatuor Sententiarum libris lucubraciones illi dicendas judicaverit. Vir hic multae lectionis, atque indefessis studiis, scripsit, cum Lutetiae Theologiam profiteretur, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, in quibus Divi Thomae *Summam* emedullasse videtur. » Partem primam a vero abludere, demonstratum haecenus est. Verum falsumque miscet pars altera; cum elucubraverit quidem Hannibaldus commentarios in Sententiarum libris, quibus attamen non *Theologiam sancti Thomae summam*, sed opus ipsius in eosdem quatuor Sententiarum libris emedullavit, ac veluti contraxit, quod illis verbis Ptolomaeus Lucensis prodit: *Quae nihil aliud sunt, quam abbreviatio dictionum Fratris Thomae*; scilicet in Sententiis ab eo explanatis; ut inita collatione facile quisque deprehendat.

Sed opus denique istud, quod in *Sententiis* concinnavit Hannibaldus, illud ipsum esse, quod in editis prostat sub titulo *secundi scripti* Divi Thomae, peremptoria praesto sunt argumenta. Manuscriptum profert Echaridus catalogum Codicum Bibliothecae Sorbonicae, *quadringentis circiter* ab hinc annis confectum, in quo haec habentur: *Item opus Hannibaldi super Sententias, ex legato Magistri Stephani Burgundi. Incipit (folio 2). Subjecti ejus.* Haec insuper legere est: *Item tres sexterni quaestionum magistri Hannibaldi supra 4 Sententiarum (quorum initium fol. 2), sine medio.* Atqui vero allegata verba, *sine medio*, habentur in edito Commentario, quo de agimus, libro quarto, prima Distinctione, articulo secundo, ad primum: et illa rursum, *subjecti ejus*, libro primo, quaestione prima, post prologum, articulo secundo, in argumento secundo. Accedit Rainerius de Pisis ordinis Praedicatorum alumnus quartodecimo saeculo clarus, qui in Pantheologia V. *Claves Ecclesiae*, capite 1, sic ait: « Haec Beatus Thomas 4 Sent., dist. 18, de Clavis, quaest. 1, art. 1, quaestione 1, utrum debeant esse claves in Ecclesia. Et Petrus de Tarantasia, et Dominus Hannibaldus Romanus Ordinis Praedicatorum idem dicit ibidem. » Quae porro a Rainerio describuntur verba, totidem legitimus in hocce Commentario, dist. 18, q. 1, art. 1, nempe: *Haec autem potestas est triplex: quaedam auctoritatis . . . quaedam excellentiae . . . altera ministerii etc.* Dionysium Carthusianum addo, cujus haec verba sunt libro 1 Sent., dist. 1, q. 1, pag. 9: « Denique Hannibal (seu Hannibaldus): *Omnis, inquit, res, cujus essentia non est suum esse, habet esse suum ab alio sibi influxum: quia si esse rei est praeter essentiam ejus, oportet quod ei conjungatur per aliquam causam . . .* Haec Hannibal. » Quae scilicet omnia et singula in Commentario legitimus libro 2, dist. 1, q. 1, art. 2. Paria sunt, quae frequentius allegantur apud eundem Carthusianum. An vero, quod inde promittitur argumentum, Pauli Nazarii eludi queat effugio: *Quod autem Dionysius, inquiring, illud adleget sub nomine Annibaldi, facile fieri potuit, aut ex falso codicis titulo, aut quia nimia vetustate conscripta esset inscriptio?* Pro genio scilicet praecceptum opinioem tuetur Nazarius, quam penitus convulsam profligatamque puto.